

exiguitatem et minuciem libri conuertiabitur, audeo te ora-
re, vt tu quoque o nostrae vrbis magne sancteque Apollo
pede inuidiam repellas tuo. Non ita sum in eo obsecutus
aetatis huius studio, quo, vt Martialis dicebat, libros non
legunt plerique, sed libellos; quam quod de hac causa ni-
hil in mentem veniret, quod amplius dicerem, quae conue-
niebant, tamen dixi. Postremo quia summus litterarum in
hoc regno Custos, Patronus, Iudex et Arbiter es, non po-
tui sine errore et vitio meo ad alium quempiam me con-
ferre, quam ad te, cui rationem omnes reddere nostrorum
studiorum debemus. Ergo, Vir Illustris, praeter humanita-
tis, hoc est Graecarum Romanarumque litterarum studia,
quibus me prorsus consecraui, Orientalibus quoque et his
Sinicis litteris, quod otium mihi ad oblectationem animi
est, dare soleo. In illarum autem litterarum studio talem
institui rationem, vt minime ex eorum numero esse velim,
qui ita se litteris abdiderunt, vt ex his nihil neque ad com-
munem fructum, neque in adspectum lucemque proferant.
Tu modo pro consuetudine Tuae humanitatis tuaeque in
litteras eruditosque voluntatis, hunc hominem gratia et
clementia tua tuendum accipe. Quae ciuium vota sunt, ea-
dem, Vir Illustris, maxima, quantum potest, pietate et reli-
gione ob tua in patriam litterasque merita, aequitatem,
iustitiam, clementiam ceterasque virtutes, ad DEVM im-
mortalem pro incolunitate tua tuaeque domus nun-
cupare institui. Vale. Regiomonte III. Id. Nou.
CIO MDCC XVIII.

SINO-